

rendi nisi apud Romanum pontificem, sicut Innocentius decrevit<sup>1</sup> et Sardicenses canones dicunt<sup>2</sup>: Quodsi, inquit, aliquis \*in ali- \*f. 88. qua provintia episcopus contra fratrem suum episcopum litem habuerit, ne unus e duobus ex alia provintia advocet cognitorem. Quodsi aliquis episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano episcopo — videlicet non alterius civitatis quam Romę episcopo —, et, si iudicaverit Romanus episcopus renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices; si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt.

7. Haec autem scientes nos, qui causam Rothadi diligenter examinavimus et canonice diffinivimus, actorum seriem, sicut Innocentius papa iussit<sup>3</sup> et Leo decrevit<sup>4</sup>, sub gestorum testificatione ad apostolicam et primam in toto orbe terrarum sedem ac Romano pontifici per legatos nostros retulimus, quatenus, sicut Bonifacius papa constituit<sup>5</sup>, quicquid de hac causa duximus decernendum, cum ad eum \*relatum fuerit, sua, ut condecet et necesse est, auctori- \*f. 38'. tate firmetur.

8. Et ne quem moveat, quia in hac gestorum serie legum edicta interdum sacrorum canonum sententiis preposuimus, interdum autem capitulis canonum legum edicta subiunximus: sciat nos hoc ideo fecisse, ut nostra iudicia canonum<sup>a</sup> auctoritate munita et legum favore in omnibus prosecuta facili demonstratione ostenderent, quę capitula canonum ex legibus sunt adsumpta et quae legum sententię ecclesiastica petitione ad munimentum ac supplementum canonum imperiali auctoritate sunt promulgata.<sup>6</sup> Nam in ecclesiasticis iudiciis interque ecclesiasticarum personarum questiones ita cognatim<sup>b</sup> legum sententię exquiruntur, releguntur et proferuntur et canonum, ut legales sententiae nonnumquam ab ecclesiae rectoribus petite et impetrate et a principali sententia prolate habeantur canonice et item canonicae sententiae non aliud quam legales videantur decernere, sicut qui canones legit intellegit.

<sup>a</sup>) u auf Ras.      <sup>b</sup>) a scheinbar korr. aus o.

<sup>1</sup>) Vgl. oben II, 4 S. 96.      <sup>2</sup>) MIGNE 67, 177 c. 3.      <sup>3</sup>) S. oben II, 4 S. 96.      <sup>4</sup>) MIGNE 67, 295 c. 41; HINSCHIUS S. 620 c. 10 (J-K. 411).

<sup>5</sup>) MIGNE 67, 267 c. 3; HINSCHIUS S. 555 (J-K. 349).      <sup>6</sup>) Vgl. oben S. 63 mit N. 1.